Cum hæc ædium magnificentia, hæc pretioſa ſupellex & ſplendidæ menſe ſpectantur, atque oculus ad ea Templa circumfertur, quæ beneficiorum ſunt tituli, & quæ extrema paupertate ſordeſcunt, cum videntur denudata, ac ſemiruta altaria, in quorum ornatum, & cultum ingentia illa conſtituta erant bona, quæ hodie vix adeo inſanis ſumptibus ſufficiunt, in pulvere, turpique ſqualore ſeneſcere; cum animus advertitur ad miſerrimam paupertatem pagorum, unde beneficiorum redditus uberes percipiuntur, numquid jure ſciſcitari aliquis poſſet, utrum, qui pia hæc legata reliquere, bonum opus fuerint operati; vel ut melius dicam, utrum pii illi benefactores Dominum ſint exoraturi, ut juſto eos ſupplicio perſequatur, qui per ſummum facinus, eleemoſynis ipſorum abutuntur? Nibil ſupremo bonorum omnium Domino acceptius, nihil ſpiritui religionis magis conſentaneum, quam hæ adeo chriſtianæ inſtitutiones; at quod ſcelus eſt in profanos uſus templorum patrimonia convertere! *P. Croiſet Tomo ſecundo Chriſtianarum Conſiderationum.*

Sacerdotis character a perſona ſeparari non poteſt.

Non ſolum Sacerdotii character independens eſt a perſona, verum etiam ab eadem inſeparabilis eſt; videlicet, non præcipit Deus populo, ut characterem hunc generatim revereatur, ſed ut illum etiam colat, cui ille inhæret. Populi Sacerdotem ſingillatim revereri, & Paſtori ſuo debent obtemperare. Immo Eccleſię majorem honorem deferunt, non contemnentes illum, qui ſe contemptibilem præbet, quam illum habentes in pretio, quem ſua virtus commendat; cum alterum hunc colunt, eum propter ipſius perſonam reverentur; ubi Religio nihil ipſis acceptum referre debet: ſed cum priorem illum honorant, tunc eorum pietas effulget. Quis enim non coleret Sacerdotem meritis, & ſanctitate florentem, Paſtorem charitate flagrantem? Sed cum tot extrinſecus videantur, quæ ſunt contemnenda, & nihilominus iis, quæ intus latent, honos defertur, nonne hæc obedientia eſt magis chriſtiana, ac minus humana? *P. Bourdaloue Sermone de Sacerdotibus.*

De illis, qui non vocati, & inconſulto Deo ſacris initiantur.

Audereſne contra Regis imperium, immo ſine Regis imperio auderes aliquam tibi in Regno inſignem dignitatem vendicare, publicis commiſceri negotiis, auctoritatem uſurpare concedendi criminum veniam, aliaſque hujus generis gratias? Si quis hoc faceret, æquo animo ferret Princeps? Nonne ſibi injuriam putaret illatam? Nonne hæc auſum pœna mulctandum cenſeret? Ita loquitur Sanctus Bernardus. Tu vero Dei injuſſu, immo vero contra juſſum Dei ad ſacros Ordines accedis. Ampliſſimam in regno ipſius ſine ejuſdem facultate, & contra ipſius voluntatem tibi vendicas provinciam. Eccleſiaſticis negotiis immiſceris, & poteſtatem uſurpas damnandi, abſolvendi, pœnas infligendi, gratias impertiendi, theſauros Eccleſiæ diſtribuendi. Ne putes Deum hoc impune paſſurum. Si quem in terris tolerat tanta furentem audacia, ſcias hunc majora, atque diuturniora in altera vita manere ſupplicia. *P. Valois Epiſtola ſecunda ad quemdam Beneficiis cumulatum.*

L. de Conver. ad Cleric. c. 27.

De illis, qui Eccleſiaſticum ſtatum amplectuntur, quin ſacris initiari velint.

Ne illos imiteris, qui numquam ſacris initiari volunt, atque totum vitæ ſuæ ſpatium in quadam neutralitatis ſpecie traducunt Eccleſiam inter, & mundum; Eccleſiæ quidem redditus accipientes, quin ejus onera ſuſcipere velint; omnibus mundi curis ſeſe expedientes, & omnibus voluptatibus ſeſe mancipantes. Proh ſummum facinus! de altari vivere, & altari inſervire nolle! O horribilem profanationem! Crucifixi fructus in luxum, & voluptatem impendere. Quidnam dici poteſt de hujuſmodi hominibus Eccleſiaſticis Beneficiis perfruentibus? niſi quod monſtra ſunt, quæ in ſemet duo extrema eſſentialiter oppoſita conjungunt; & quin re ipſa, vel Eccleſiaſtici ſint, vel Laici ſimul & Eccleſiaſtici eſſe volunt & Laici æque & bonis ſe inviſos, & malis contemptibiles efficiendo. *Idem.*

Sacerdotii dignitas, præparatio ad eam recipiendam.

Sacerdotii dignitas tanta eſt, & myſteria, quæ Sacerdotibus committuntur, adeo ſunt terribilia, ut nemo ad eam adſpirare poſſe videatur, quin ſancto fuerit furore correptus; ac nemo illam ſubire, niſi eo animo, quo maxima quæque, ac difficillima facinora ſuſcipiuntur, ubi magna periculi pars magnitudine ſperatę glorię contegitur. Vix ad eam quis auderet accedere, niſi charitas, non ſecus ei fides, oculos clauderet: ad eminentem gradum hunc obtinendum, qui inter nocentes homines, Deumque irritatum medius eſt, divino quodam impetu ferri oportet, uti Aaron, cum ſe conjecit medium inter populum Dei, ac ignem de cœlo delapſum, quo ille conflagrabat. Verum licet munus hoc adeo elatum, ac terribile ſit, ut ad illud aggrediendum opus ſit, ut ita dicam, ne cogitare quidem; adeo tamen eſt ſanctum, ut cum ad illud ſuſcipiendum noſmet præparare debemus, numquam ſatis diu cogitare valeamus. Ad digne adorabilem hanc hoſtiam noviſſimis vitæ noſtræ temporibus offerendam, eam victimam imitari deberemus, quæ ſeſe obtulit, atque a primo conceptionis ſuę momento ad illud ſacrificium diſpoſuit, quod in morte tantum ſua erat adimpleturus. *Ex Vita Cardinalis de Berule cap. 4. lib. 3.*

Eccleſiaſtici terrenis rebus expediti eſſe debent.

Ad Eccleſiaſtici obeunda munera, ea omnia ſunt abjicienda, quæ ad Deum minime pertinent. Qui Eccleſiaſticæ militiæ nomen dederunt, tempus tranſmittunt divitias congerentes, lites agentes, atque in alium finem, præterquam quod Eleemoſynæ erogandæ, ſumptibus parcentes; hos reor magno verſari in periculo; quippe Eccleſiaſticorum negotia ſunt negotia Dei, & ſi aliis ſeſe immiſcent rebus, ſuum miniſterium contemnunt. Nemo eorum, qui in Dei caſtra tranſiere, S. Paulus ait, ſeſe vitæ ſæcularis impedimentis implicat. Quivis Sacerdos, qui theſaurizat, ac in alium finem, quam ut pauperibus opituletur, atque Eccleſiæ bono conſulat, congregat opes, ſeſe æternę ſubjicit damnationi. *Auctor Anonymus.*

Modica cura, qua de Eccleſiaſticis officiis erudiuntur, qui huic ſtatui deſtinantur.

In familiis quiſnam hanc ſibi vendicat curam ob oculos illius, qui jam Eccleſiaſtico ſtatui deſtinatus eſt, antequam mentem, animumque illius exploraverint; quis, inquam, curam ſibi vendicat ob oculos illius ſtatuendi ea maximi momenti officia, quæ profeſſioni huic penitus inhærent, ita ut ab ea ſeparari non poſſint? Vitam frugi, ac morum puritatem, quæ Eccleſiaſticum decet? Modeſtiam, ac decorem, ſemper in ſermonibus, in corporis habitu, in oculorum conjectu, in veſtibus, totaque vitæ ratione ſervandum? Animum a mundo prorſus divulſum, cum interim vivat in mundo? Attentionem, ac diligentiam, qua ea omnia, quæ coram ſe fiunt, aut dicuntur ſecernere debet; ſuavitatem, & charitatem, quam in alios, & ſeveritatem, quam in ſe debet exercere? Integritatem ab omni cupiditatis ſuſpicione remotam, amorem ac ſpiritum ſtatus ſui; denique exemplum, quod aliis præbere tenetur, & uſum, in quem redditus ſuos debet impendere? *Liber cui titulus, L'Education des Enfans par J. Pic.*

Eccleſiaſticus, qui non vivit ſecundum ſtatum ſuum contemptibilis eſt coram Deo & hominibus.

Nullum majus eſt monſtrum Eccleſiaſtico in omni vitæ ſuæ ratione miram contra ſe, ſtatumque ſuum oppoſitionem præſeferente, cujus veſtimenta cum actionibus non conſentiunt, neque cum veſtimentis actiones; cujus in moribus neſcio quid irregularitatis apparet, unde aperte colligitur illum e charactere ſuo jugiter egredi, vel fortaſſe numquam in eumdem ingreſſum fuiſſe; demum qui ſeſe mundo commiſcet, omneſque mundi voluptates ſectatur, ludos, convivia, deambulationes, inutiles viſitationes, & fortaſſe etiam ſpectacula, quæ maxime profana ſunt, & quibus Eccleſiaſtico viro eſt interdictum. Qui Eccleſiæ famulatur etiam inter mundi ſectatores dignoſci debet, non ex veſtibus ſolum, verum etiam ex modeſto corporis habitu, ex ſpiritu, qui minime evagatur, & iis repletus eſt, quæ ad religionem, officiumque ſuum maxime pertinent. Majorem in moribus curam, majorem in verbis diligentiam, majoremque habere debet abominationem eorum omnium, quę vulgo mortalium mentes diſſipare conſueverunt. *Idem.*

Crimen parentum qui indignos filios ad Eccleſiaſticas evehunt dignitates.

Non leve eſt patrum, matrumque ſcelus, qui propter ambitionem, vel avaritiam, vel alia quavis ex cauſa Eccleſię tribuunt Miniſtros, qui non niſi Sacramentis, ac Myſteriis ejuſdem polluendis, redditibus diſſipandis, atque in luxum, aut propriam, vel familiæ ſuæ utilitatem, vanitatem, immodicoſque ſumptus convertendis; vel animabus in præceps trahendis ſeu per inſcitiam, ſeu per ignaviam, aut pravum exemplum, ſunt pares. Quomodo enim metuere non poſſunt, quod in Eccleſia ad ita ſanctum, ac formidabile miniſterium provehentes filios ſuos contra Dei voluntatem, minime hunc ad iracundiam provocent, in ſe ultionem, atque in familiam ſuam maledictionem illius non detorqueant? Exemplo ſummi Sacerdotis Heli condiſcant, non contemnendum facinus eſſe, vel per ſe dignitates Eccleſiaſticas, & Sacerdotii ſanctitatem polluere, vel eſſe in cauſa ut ab aliis polluantur; ac inde intelligant nihil hoc aptius eſſe ad divina flagella etiam in omnem populum detrahenda; quemadmodum ſcimus propter duos filios Heli populum Dei a Philiſthinis victum, & Arcam Fœderis, qua nihil ſanctius tunc erat, ab infidelibus captam fuiſſe. *Auctor recens, & Anonymus.*

Mala, quæ accidunt Eccleſiæ propter ambitionem, vel avaritiam patrum, qui filios ſuos a Deo non vocatos altaribus admovent.

Propter ambitionem, vel avaritiam parentum, qui filiis ſuis Eccleſiaſtica procurant beneficia, quamplurima accedunt mala ſanguineis lacrymis deflenda. Inde enim Eccleſiæ redditus, Crucifixi patrimonium, pretium, quo Fideles animas ſuas de peccati ſervitute redemerunt; verbo ſubſtantia pauperum fiunt materia luxus, faſtus, & vanitatis hominum, alunt mollitiem, ac delitias plurimorum inertium; in aleis, ludiſque abſumuntur, vel denique fiunt patrimonium familiæ, quæ diteſcit, vel ex pulvere, in quo ſemper jacuerat, educitur. Videntur Eccleſiæ dignitates ab iis uſurpatæ, qui ibi gloriam tantum, vel lucrum quærunt, quin de officiis earum obeundis ne cogitent quidem; vel qui ea obeunt ita, ut vanitatem, & oſtentationem redoleant. Videntur animæ traditæ mercenariis, qui gregem ſuum interire ſinunt, qui non aliud, quam ſeipſos paſcere quærunt. Videtur denique populus pravam eorum abominari vitam, qui ad Eccleſiæ honores evecti ſunt, ſola ſuæ cupiditatis vocatione acti; qui cum eſſe deberent lucernæ ardentes, atque coruſcantes, fœtidum tantummodo fumum exhalant undequaque mundanorum affectuum virulentum odorem efflantem. *Idem.*

Quid abſolute neceſſarium ſit, ut quis digne ad altaris miniſterium admoveatur.

In iis, quæ altarium ſuorum miniſterio deſtinat Eccleſia, atque ad ſe vocat, puram innocuamque vitam requirit. Attamen cum difficile ſit noſtra hac ætate animas inveniri nulla mundi contagione corruptas; ſufficit, præterita crimina ſincera pœnitentia, & converſione reparata fuiſſe; indignitatem ſuam cognoſci, & conditionem adeo ſanctam, formidabilemque non ſuſcipi, niſi ex conſilio, & ſententia eorum, quibus ſatis eſt prudentiæ, ac pietatis, ut in illis confidere valeamus. *Abbas Trappenſis Tomo 2. Inſtitutionum Chriſtianarum.*

Eccleſiaſtici præ aliis magis tenentur pauperum neceſſitatibus ſubvenire.

Jure Eccleſiaſticorum, & eorum, qui Beneficiis aucti ſunt, inclementia exprobratur, qui cum eſſe debeant diſpenſatores bonorum, quæ Fidelium pietas contulit, ut pauperibus ſubveniretur; hos negligunt, atque ita dure in eos agunt, ac ſi eorum infelicitati opem ferre non tenerentur. Ubique pauperes, & egenos inveniunt, homines ad incitas, extremamque egeſtatem redactos; attamen corda eorum, manuſque clauſę ſunt, quaſi eorum neceſſitas ad ipſos minime pertineret; quin moveantur objurgationibus, & querelis, in quas calamitoſi erumpere conſueverunt. *Clamant famelici, & conqueruntur, nobis crudeliter ſurripitur, quidquid inaniter expenditur.* Vos, ita enim Eccleſiaſticos alloquuntur, effunditis ea, quæ noſtra ſunt; nobiſque crudeliter aufertis, quidquid præter ea, quæ vobis ſunt neceſſaria, in immodicos ſumptus erogatis. *Idem.*

Eccleſiaſticus ſtatus periculoſiſſimus eſt iis vero præſertim, qui ad Eccleſiæ dignitates evecti ſunt.

Fateor equidem commodum eſſe Eccleſiaſticum ſtatum ſecundum carnalium hominum conceptum: ſuave eſt naturæ corruptæ iis redditibus frui, quæ commode recipiuntur; locum obtinere, ubi diſtinguimur, ac ſeſe ab iis curis, quæ laborem afferunt, expedire. Si hoc vitę genus commodum eſt, ac ſuavitatis plenum, funeſtiſſimum quoque eſt, & periculoſæ refertum aleæ, uti docet Sanctus Auguſtinus. Sed ubi Eccleſiaſticæ dignitates ſecundum genuinam earumdem ideam conſiderantur; ubi perpenditur finis, quem ſibi proponere debet, quicumque Templi miniſterio ſe conſecrat, tunc facile cum eodem Sancto Auguſtino intelligi poteſt, nihil ſanctius eſſe, nihilque felicius coram Deo Eccleſiaſtico ſtatu; at ſimul nihil hoc gravius eſſe, nihil laborioſius. Et ſane inter omnes hujus ſtatus difficultates non minima eſt Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratio. *Auctor Anonymus.*

Epiſt. 21. alias 148.

De Eccleſiaſticis beneficiis, & redituum uſu.

Beneficia profecto ſunt onera; quo enim majora ſunt, eo gravius illorum eſt pondus. Sanctus Paulus Apoſtolus de opibus loquens generatim eas periculoſam tentationem appellat. Hoc autem de Eccleſiæ divitiis verius eſt; hæ quippe ſunt cauſa interitus plurimorum, qui abutuntur iiſdem. Gratulamur illi, quod induſtriæ ſuæ tandem cœperit fructum, & ad aliquam dignitatem pervenerit, & optimi Beneficii poſſeſſionem fuerit aſſecutus. Præſtaret potius illius vicem dolere, ac lacrymis proſequi, propter illud, in quo verſatur, periculum ſeſe crimine adſtringendi, & ſacras Eccleſiæ divitias in nefarium uſum convertendi. Nequaquam lætandum eſt cum ſectatoribus mundi, qui neſciunt, quod petunt, & id cupiunt, quod ſibi interitum affert; & quibus ars eſt infeliciſſima, optima quæque corrumpendi. Ignavi palpatores, qui illis blandiuntur, eos magis adhuc ſuperbos efficiunt, ac pernicioſis ſententiis ſuis pertinacius herentes; ſed tunc lætandum eſt, cum Eccleſiaſtica bona illis diſtribuuntur, qui eadem & vitæ innocentia, & laboribus, & opera, quam Eccleſiæ præſtant, merentur; qui norunt, quænam ſint hæc bona, quis eorum uſus faciendus, & qui mediocri eorum parte contenti fideliter ſuum munus adimplent, parcentes ſumptibus, & aliquid ſibi negantes, ut pauperibus opitulentur. *Idem.*

EDUCATIO FILIORUM.

Cura, quam Parentes eorum gerere debent.

MONITUM.

Iſtbic utiliſſimum, & fortaſſe etiam inter Diſciplinæ Chriſtianæ argumenta maxime neceſſarium pertractamus, quandoquidem ex bona, vel mala filiorum inſtitutione, ut plurimum bona, vel mala eorum vita, familiæ pax, & tranquillitas, Reipublicæ quies, & pietatis, atque Religionis proficiſcitur incrementum. Videtur autem, ubi de Filiis ſermo eſt, de eorum officiis erga illos, quibus vitam debent, priuſquam de munere parentum erga eos, quos in lucem edidere, eſſe differendum. Et ſane magis conſentaneus hic eſſet ordo; verum cum nimis late materia hæc evagetur, ſi mutua hæc officia una tantum concione perſequi velis; cumque parentum erga filios negligentia vulgatior ſit, & mala, quæ inde proficiſcuntur, pernicioſiora; utilitatem ordini præferendam cenſemus, cumque hoc uno invertimus conſilio, de filiorum erga Parentes officiis in titulo de Filiis, qui ſuo loco afferretur, verba facturi; cum alioquin nullius momenti habenda ſit hæc modica ordinis perturbatio.

Illud vero in perutili hoc argumento eſt animadvertendum; Oratori ſermonem ita eſſe dividendum, ut pateat mali magnitudo, quod parentes noxia negligentia committunt, eoſque erudiat, quomodo filii educandi ſunt, ac tandem illis oſtendat, hoc præcipuum eorum officium eſſe, ipſorumque ſalutem quodammodo filiorum ſaluti inhærere.

PA-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. PArentum erga filios officia ad duo potiſſimum capita referri poſſunt, ſub quorum ſingulis alia plura continentur; ea autem ſunt, eorum educatio, & cura ſtatus ipſorum ſtatuendi. Primum filiis ſuis debent inſtitutionis curam, quos ita eſſentiale eſt munus ipſorum, ut niſi eo diligentiſſime defungantur, Deo rationem ſint reddituri; & non mereantur amplius, ut ita dicam, parentum loco a filiis haberi. Et profecto quid filii parentibus deberent ob eam vitam, quam ab illis acceperunt infelicem, & peccatis obnoxiam; niſi illi deinde nativitatis malum reparare adniterentur bona educatione ſanctam, beatamque vitam filiis procurando? Educatio autem tria complectitur, ad quæ parentes æque tenentur, doctrinam videlicet, exemplum, & correctionem. 1. Quod ad doctrinam pertinet, certum eſt, Parentes primos eſſe debere filiorum ſuorum magiſtros. A teneris uſque unguiculis, cum filiorum corda, animique dociles patere incipiunt inſtitutis, quibus imbuuntur, toto pectore patres adniti debent, ut illis pietatis ſenſus, Dei timorem, & horrorem peccati paulatim immittant: atque prout adoleverint, atque ratio eorum confirmari cœperit, tunc magis magiſque evolvenda, & enucleanda ſunt illis, quæ diluculo ipſis tradita fuerunt rudimenta, atque omnes induſtriæ nervi contendendi ſunt, ut rudem illam, imperfectamque doctrinam novis cognitionibus, noviſque præceptis ad eorum captum, æternumque accommodatis perficiant. Non ideo tamen affirmaverim, eam interim negligendam eſſe curam, qua honoris ſenſus, qui eorum ſtatum, ac genus decent, pueris inſpirentur; ſed illud innuo, parentum curam in eo potius verſari debere, quomodo filios ad proprias Chriſtianæ Religionis virtutes, & ad legem Dei ſedulo obſervandam informent, quam quomodo illis honoris ſenſus immittant, eoſque mundi uſus edoceant, qui ut plurimum in eorum animos jaciunt funeſta vanitatis, & ambitionis ſemina, eoſque ad corruptas ſæculi leges ſervandas impellunt. 2. Cum virtus, & vitium celerius æque, ac efficacius per exempla, quam per præcepta ediſcantur: parentes, ut ſuos natos erudiant non minus bonis exemplis, quam ſapientibus inſtitutis eos debent imbuere. Cum enim filii ultro imitentur, quidquid fieri vident, ab iis vero præſertim, quibus amorem debent, ac reverentiam; dici poteſt parentum exempla liberis eſſe quotidiana virtutum, vitiorumque documenta, quibus vix, ac ne vix quidem, alia potiora eſſe valeant. 3. Tertium, quod liberis optime inſtituendis maxime proſit, correctio eſt; hæc enim ut plurimum iis medetur malis, in quæ labi poſſunt, eorumque prohibere poteſt effectus. Tenentur igitur parentes corrigere filiorum vitia; ipſique reddituri ſunt rationem criminum, quæ nati committunt; niſi ea vigilantia ſua præveniant, eaque graſſari prohibeant: qua in re vitanda eſt nimia indulgentia, ac ſeveritas nimia propter ea mala, quæ utrinque exiſtere poſſunt.

Secundo, filiis Parentes debent curam ſtatus eorum conſtituendi: ad hoc animum ſerio, atque maturato tenentur advertere; & huic efficaciter juxta eorum ſtatum, & conditionem, ſed multo magis ſecundum Dei vocationem conſulere. Qua in re ne a Chriſtianę prudentiæ regulis recedant, Dominum conſulere debent, filiorumque ingenium, ac voluntatem explorare, petito etiam eorum conſilio, qui illos regunt, eorumque animum compertum habent, atque exploratum. At illud graviſſimum malum eſt, quod parentum plerique hac in re ſuam tantummodo vel ambitionem conſulunt, vel utilitatem; vel etiam omnia fortunæ committunt, & filiorum ſuorum ſequuntur arbitria. Duo hic occurrunt obſervanda. 1. Cavendum eſſe quam diligentiſſime, ne filii Religioſum, Eccleſiaſticumque ſtatum amplecti hac mente cogantur, ut rei domeſticæ conſulatur; ſi liberis & vocatio, & talenta ad ſuſcepti ſtatus munera obeunda defuerint. 2. Filios nequaquam eſſe prohibendos, ne Dei vocantis imperium ſequantur. Meminiſſe debent genitores, ſe a Deo auctoritatem illam obtinuiſſe, quam habent in filios, ideoque citra horribile ſcelus non licere ſibi eadem abuti prohibituris, ne Dei ſequantur imperium, quod per vocationem liquido apparet; iiſque perſuaſum eſſe debet non teneri filios obedientiam amplius prętare parentibus, cum parentes illis vim facere volunt, ne obediant Deo.

II. Filios genuiſſe, minimum eſt parentum erga liberos beneficium, niſi adſit optimæ inſtitutionis cura; non enim vivere, ſed bene vivere, ac æternum vivere bonum eſt.

Quamobrem 1. Lex naturalis petit, ut illi fideliter hoc adeo neceſſarium munus adimpleant, propter quod ut cauſę effectis, quos gignunt, ſuppeditare tenentur ea, quæ ad eorum incolumitatem, progreſſum, & perfectionem ſunt neceſſaria.

2. Amor, quo ſuapte natura filios ſuos complectuntur, & charitas chriſtiana, quam erga eoſdem fovere tenentur, petunt, ut quæcumque illis ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia bona procurent; quorum utraque a bona eorum educatione procedunt.

3. Propria etiam eorumdem parentum utilitas id flagitat; filii enim eorum futuri ſunt gloria vel probrum, lætitia, vel ſupplicium, prout bene, vel male fuerint inſtituti.

III. Deus hominibus vitam impertiens, illis ſimul impertit, vel ſaltem deſtinat triplex vitę genus, quod triplex curæ, vel providentię genus erga illos oſtendit. Naturalem illis vitam largitur; quapropter iis proſpicit, quæ ſunt ad victum eorum neceſſaria; illos vitæ immortali deſtinat, qui finis eſt, propter quem illos creavit; quamobrem erga illos alteram ſupernaturalem habet providentiam, quæ illis gratias, & neceſſaria ad ſalutem aſſequendam adminicula præparat. Denique illos oriri facit inter alios homines, ut Reipublicæ partem conſtituant, ac vitam civilem vivant: ideoque tertia providentia, quam vocationem dicimus, & quæ partim naturalis eſt, partim vero ſupernaturalis, eos ad hunc, vel illud vitæ genus ſuſcipiendum accerſit. In his tribus parentes Deum, cujus locum erga filios obtinent, debent imitari.

1. Quemadmodum eorum opera utitur Deus, ut liberis naturalem vitam impertiat; illi eo amore, qui divinum imitari debet, filiorum victui, atque incolumitati debent proſpicere.

2. Eorum ſaluti conſulere debent optima educatione, quæ altera eſt vita moralis priori longe prętantior, illos ad virtutem inſtituentes, ut cœli viam ipſis ſternant faciliorem.

3. Illis opem ferre debent, ut in civili vita ſecundum vocationem, ingeniumque ſuum certum ſtatum capeſſant, *Hæc ſtructura Concionis deſumpta eſt ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Quadrageſima*.

IV. 1. Patres dupliciter ſunt filiorum ſuorum patres, cum illos ad virtutem, & præceptis, & exemplis erudiunt; ubi latior aperitur campus diſſerendi de bonis, quæ ex recta inſtitutione, & filiis, & ipſis etiam parentibus cedunt.

2. Parricidæ ſunt, ubi eorum educationem contemnunt; permittentes enim, ut improbam, nefariamque vitam traducant, cauſa fiunt damnationis eorum.

V. Tres ut plurimum graves defectus accidunt in filiorum educatione; qui æque cauſa ſunt reprobationis eorum, ac parentum eorumdem, non ſatis ſerio cogitantium munus ſuum.

1. Enutriuntur filii in craſſa Dei ipſius oblivione, quin de Religionis veritatibus, & Chriſtiani hominis officiis erudiantur.

2. Enutriuntur in amore licentiæ, quin de flagitiis ſuis corrigantur, ac inordinatis affectibus ſuis tradantur, quin parentes eos coercere adnitantur.

3. Enutriuntur præſertim vero qui nobili genere nati ſunt, inter mundi uſus, vanitatem, ambitionem, & faſtum.

VI. Tria ſunt, propter quæ parentes curam gerere tenentur optimæ filiorum ſuorum inſtitutionis, poſtquam illis vitam contulerint.

1. Deus, qui filios elargitus eſt patribus, ut ab his in ſervitio ſuo inſtituerentur; ideoque diſtincte rationem reddituri ſunt, quo pacto hoc munere fuerint perfuncti.

2. Re-

2. Reſpublica, cui filios utiles tenentur efficere, & quæ per malam eorum educationem hoc ſubſidio fruſtratur.

3. Filiorum denique, ipſorumque parentum utilitas; mutua enim eorum felicitas, vel infelicitas ab ea pendet inſtitutione, qua filii imbuuntur.

VII. 1. Filii aliquando futuri ſunt parentum ſuorum lætitia, vel dolor, prout bene, vel male ab illis inſtituti fuere.

2. Hæredes erunt vitiorum, ac virtutum non ſecus ac divitiarum.

3. Cauſa erunt ſalutis, vel damnationis eorum.

VIII. Mala filiorum educatio ſpecies eſt originalis peccati.

1. Hoc eſt peccatum parentum, quod per ignaviam, apertiſſimamque præcipui muneris ſui negligentiam committunt: peccatum grave, uti judicium ferre eſt ea ratione qua de eodem verba facit Apoſtolus; peccatum propemodum univerſale, aliaque longe plurima continens; peccatum omnem eorum involvens poſteritatem, qui illud perſonaliter patrant.

2. Peccatum hæreditarium in filiis, qui antequam paternorum bonorum ſucceſſione fruantur, hęreditate quadam in eorum mala, atque vitia tranſeunt; qui vitioſi ſunt, quomodo patres eorum fuerunt, & qui, cum male fuerint inſtituti, idcirco in alia quamplurima ſcelera prolabuntur.

De patrio munere filios bene educandi.

IX. 1. Munus hoc parentibus eſſe debet ſuaviſſimum; quandoquidem naturæ ſtudiis maxime congruit. Satis eſt patrem eſſe, vel matrem, ut filios ames; qui certe amari non poſſunt, dum eorum educatio negligitur.

2. Munus hoc maxime eſt neceſſarium; per hoc pater vere pater eſt; immo & propter hoc; & licet aliis quibuſcumque fungeretur officiis, ſi huic uni deſit, quod principem obtinere locum debet, parum illi proderit, cætera adimpleſſe.

3. Munus hoc parentibus maxime eſt formidabile; ſi hoc minime perfunguntur reddituri ſunt Deo rationem omnium peccatorum, quæ filii committunt. *P. Nepveu in Conſiderationibus Tomo* 4.

De Falſo, veroque amore parentum in filios.

X. 1. Falſus amor ille eſt, 1. qui pravis eorum ſtudiis indulget, eorumque vitiis connivet, 2. qui injuſtus eſt in aliorum ſuper alios prælatione, quos vanificat fortunæ eorum quos diligunt. 3. qui rectum ſenſum non ſequitur, qui eos amat, qui pulchro ſunt corpore, alios vero nullo habet in diſcrimine.

2. Verus amor eſt ille, 1. quo filii propter Deum diliguntur, atque hoc conſilio enutriti illi offeruntur. 2. Qui nulli parcit curæ, & eos virtutibus ornatos, ac ſanctos efficiat. 3. Qui eorum vitia pati non poteſt, nihilque intentatum relinquit, ut illos revocet ad frugem.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri poteſt copia ad propoſitas concionum ſtructuras ornandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus *in Pſalm.* 50. docet quomodo inſtituendi ſunt filii, ac Paſtoris officium erga illos exercendum.

Sanctus Ambroſius *l. de Joſeph c.* 8. oſtendit, quomodo filii ſunt a parentibus diligendi.

Idem *Epiſt.* 43. *ad Sabinum* eum laudat, quod filio facinus confitenti pepercerit.

Sanctus Hieronymus *Epiſt.* 7. *quæ eſt ad Letam*, ſanctam hanc mulierem hortatur ad filiam ab infantia bene inſtituendam, eique præſcribit quid faciendum, quidve ſit evitandum.

Idem *Epiſt.* 12. *quæ eſt ad Gaudentium*, egregia tradit præcepta ad puellam in pietate, ac Dei cultu educandam.

Idem *in cap.* 6. *Epiſt. ad Epheſ.* docet ſæpe neceſſum eſſe filios corripere.

Sanctus Gregorius *l.* 2. *in cap.* 3. *l.* 1. *Reg.* narrat, quomodo Deus ſevere puniit ſummum Sacerdotem Heli, quod filios ſuos, uti oportebat, non corripuiſſet.

Origenes *lib.* 1. *in cap.* 1. *Jobi*, oſtendit, quanti referat filios bene inſtituere, & quomodo amandi ſint.

Sanctus Baſilius *Hom.* 21. *ex variis tom.* 1. docet filios plerumque parentibus ſimiles eſſe, ac ſeſe ad eorum exempla componere.

Idem in Præfatione libri *de Moribus*, exemplo Heli probat, patres ſæpe propter filiorum peccata puniri.

Salvianus *lib.* 1. *ad Eccleſ. Cathol.* tradit modum, quo filii a parentibus educandi ſunt, ac eodem in libro oſtendit pravæ educationis liberorum cauſam ex mala patrum educatione proficiſci; hi enim filios educant, quemadmodum ipſi a parentibus educati fuerunt.

Idem lib. 3. acriter contra patres avaros invehitur, quibus cura eſt locupletandi filios, quos deſtinant mundo; iis vero, quos Eccleſiæ deſtinant, pauca relinquunt.

Sanctus Chryſoſtomus *Hom.* 9. *in Epiſt. ad Hebræos*, docet parentibus filios habendos eſſe tamquam ſibi a Deo creditum depoſitum, eiſque illorum curam in hac vita gerendam.

Idem *Hom.* 60. *in S. Matth.* eos, qui filiorum ſuorum negligunt educationem, iis comparat, qui domos ſuas labentes ab interitu vendicare contemnunt, & qui circum undique pulcherrimos hortos conferunt; atque ibidem oſtendit artem omnium maxime difficilem atque ſublimem eſſe filios egregie inſtituere.

Idem *lib.* 3. *adverſ. vituperat. vitæ Monaſticæ*, rationes, & cauſas adfert, propter quas filii male erudiuntur; ac ibidem ſceleratos, ac parricidas appellat eos, qui filiorum ſuorum negligunt correctionem.

Idem, vel Auctor operis imperfecti in S. Matthæum loquitur de cupiditate, qua patres filios ſuos opibus, honoribuſque augere contendunt, cum interim nullo habeant in diſcrimine, utrum virtutem exerceant, ac probi efficiantur.

Idem *Hom.* 59. *in Geneſ.* docet pleraque mala, quę in terris videntur ex prava filiorum educatione proficiſci.

Idem *Homil. de Anna, & Samuelis educatione*, docet filios maturato ad virtutem eſſe informandos.

Idem *Homil. de Nativit. ſeptem Machab.* oſtendit, quomodo parentibus amandi ſunt filii propoſito generoſæ Machabæorum Matris exemplo.

Idem, vel Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum oſtendit, matres majorem plerumque corporum, quam animarum filiorum ſuorum gerere curam.

Idem *Hom.* 7. *in Epiſt. Pauli ad Rom.* docet patribus magis adnitendum, ut filios virtutibus, quam opibus auctos relinquant.

Idem *Hom.* 9. *in Epiſt.* 1. *Pauli ad Timoth.* oſtendit potiſſimum parentum munus eſſe filios ſuos in ipſa pueritia erudire, & curam hanc cæteris quibuſcumque anteferendam.

Idem *Serm.* 21. *in Epiſt. ad Epheſ.* hæc explicans verba: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros &c.* docet, quomodo patribus cum filiis agendum, ac bonum illis exemplum eſſe præbendum. *Ad Epheſ.* 6.

P. Cordier Tomo Primo Sanctæ Familiæ uberrime, ac methodice hoc argumentum exhaurit. Libri Aſcetici, aliique.

Cambolas, *libro cui titulus: Exemplar vitæ Chriſtianæ cap.* 5. *ſect.* 3. & ipſe fuſius hoc perſequitur argumentum, atque pluribus in Paragraphis de bona, ac mala filiorum educatione, verba facit,

Joly, libro cui titulus, *Avvis Chretiens, & Moraux*, pro filiorum educatione.

P. Ludovicus Camaret in libro, qui inſcribitur *Le pur, & perfait Chriſtianiſme l.* 2. ubi de obicibus loquitur, alterum facit malam filiorum educationem, quam pluribus capitibus Jeſu Chriſti præceptis; ac ſpiritui oppoſitam eſſe docet.

P. Croiſet 2. Tomo Conſiderationum Chriſtianarum de filiorum agit educatione.

Liber, cui titulus, *la Morale Chretienne lib.* 1. *ſect.* 3. prolixum habet de hoc argumento tractatum in plura capita diviſum.

Liber, qui inſcribitur, *Guerre aux vices*, prælio undevigeſimo contra falſum filiorum amorem oſtendit quam pernicioſus ſit parentibus, ipſiſque filiis hic amor.

In libro, cui titulus *Eſſais de Morale, Tomo ſecundo*, tractatus invenitur de educatione Principis, ubi plura generatim ad filiorum pertinent educationem.

P. Nepveu in libro, *la Conduite Chretienne, c.* 4. de parentum in filios officiis verba facit.

Idem in Conſiderationibus Chriſtianis pro omnibus anni diebus Tomo 4. loquitur de parentum cura in filiorum educatione.

Pędagogus Chriſtianus parte 1. cap. 6. §. 1. & 2.

Go-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Gobinet libro, qui inſcribitur, *Inſtruction de la Jeuneſſe &c.* part. 3. cap. 1. tamquam primum ſalutis adoleſcentum obicem memorat defectum diſciplinæ, & capite ſequenti alterum facit nimiam parentum indulgentiam, pravumque exemplum.

Liber cui titulus, *Inſtruction ſur divers ſujets de Morale*, pro puellarum educatione, eloquenter de iis omnibus agit, quæ dici poſſunt in hoc argumento.

Liber de Chriſtiana puerorum educatione ab Anonymo in lucem editus.

Liber, qui inſcribitur *Maximes, et Reflexions ſur l'education de la Jeuneſſe*.

Liber, cui titulus, *La Connoiſſance du Monde*, vel ars filios inſtituendi.

Concionatores qui hujus argumenti ſermones ediderunt.

Henricus Engelgrave in Luca Evangeliſta Dom. 6. poſt Paſcha.

Mathias Faber Conc. 4. in Feſt. S. Nicolai.

Joly, Propoſitione pro 20. poſt Pentecoſten Dominica.

Idem Propoſitione pro ſecunda poſt Epiphaniam Dominica,

Idem in mixtis Operibus ſermonem habet de educatione filiorum.

P. Texier in Adventu de Impii infelicitate.

Idem in Quadrageſima.

Biroat Sermone pro Feria 5. poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam.

P. D'Orleans Tomo 1. Sermonum.

Auctor Sermonum Moralium.

Auctor Sermonum in omnia Ethicę Chriſtianæ Argumenta Tomo 1. Quadrageſimæ.

Qui collectanea edidere.

Granatenſis in Locis communibus. *Titulo Juventus* [redacted]

Buſæus in Statibus, *de Puerorum, & adoleſcentiæ ſtatu*.

Lohner, *tit. Educatio*.

PARAGRAPHUS III,

Loci, Exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

EGo ſum Dominus Deus tuus, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Exod. 20.

Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus: juſtificationes tuas non ſum oblitus, Pſalm. 118.

Magis honoraſti filios tuos, quam me. 1. Reg. cap. 2.

Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Prov. 1.

Tene diſciplinam, ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua. Prov. 4.

Via vitæ cuſtodienti diſciplinam. Prov. 13.

Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Prov. 13.

Noli ſubtrahere a puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur, & animam ejus de inferno liberabis. Prov. 23.

Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Egeſtas & ignominia ei, qui deſerit diſciplinam. Prov. 13.

Tria ſunt difficilia mihi, & quartum pœnitus ignoro: viam viri in adoleſcentia. Prov. 30.

Virga atque correptio tribuit ſapientiam; puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam. Prov. 29.

Sapientiam & diſciplinam qui abjicit, infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum. Sap: 3.

Filii tibi ſunt: erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Eccli. 7.

Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Prov. 29.

In filiis agnoſcitur vir. Eccli. 11.

Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo. Eccl. 30.

Non des filio poteſtatem in juventute. Eccli. 30.

Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato. Eccli. 22.

Ne jucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur; nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis. Eccl. 16.

Melior eſt unus timens Deum, quam mille filii impii, & utile eſt mori ſine filiis, quam relinquere filios impios. Ibidem.

Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps. Eccli. 30.

Pater filiis notam faciet veritatem tuam (o Deus!) Iſaiæ 38.

De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrio. Eccli. 41.

Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 1. ad Timoth. 5.

Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant. Ad Coloſſ. 3.

Quis enim filius, quem non corripit pater? Ad Hebr. 12.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deprompta.

In veteri Teſtamento filii a parentibus legem Domini edocebantur.

SAnctus Chryſoſtomus ait, patres eſſe prædicatores, Magiſtros, Apoſtoloſque filiorum ſuorum, ac eorum intereſſe filios de Religione, ac Dei Lege erudire; quod adeo verum eſt, ut in veteri Teſtamento, ultra triginta locos deprehendamus, ubi de hoc officio palam verba fiunt. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi in corde tuo.* Dicit Deus populo ſuo in Deuteronomio: *Et narrabis eas filiis tuis, et meditaberis in eis.* Hinc factum eſt, ut cum ſecum reputarent inſignia beneficia, quibus a Deo fuerant cumulati, addebant quoque, ſe ex veteri traditione id accepiſſe, atque a parentibus, majoribuſque ſuis didiciſſe: *Narraverunt Patres noſtri, atque dixerunt: de Ægypto duxit nos Dominus*; ut intelligerent Parentes ſe maxime teneri ad filios Religionis veritatibus, præceptiſque Domini imbuendos. *Jud. 6.*

Exemplum S. Job.

Imitamini, parentes, imitamini S. Job, qui metuens, ne filii Deum umquam læſiſſent, quotidie pro illis preces offerebat, & ſacrificia, ac indeſinenter ea repetebat, quæ ad ſalutem illorum pertinebant. Hoc illud eſt exemplar curæ ejus, quam de filiis veſtris gerere vos oportet; illorum factis jugiter invigilare, ne in aliquod vitium ruant & facinus aliquod patrent, quod in ipſos, ac voſmet Dei provocet iracundiam; eorum ſalutem cæteris quibuſcumque rebus anteferre; eos aſſiduis precibus Domino commendare, eiſque pietatis, ac religionis exempla præbere.

Exemplum Sancti Patriarchæ Abraham.

Imitamini Abraham Patriarcham, qui opes, ac poſſeſſiones ſuas nullo habens in diſcrimine id unum quæſivit, ut poſteris ſuis in hæreditatem exactam divinarum Legum relinqueret obſervantiam; quod Deus in Scripturis ſanctis declarat hoc virtuti ejuſdem perhibens teſtimonium: Scio Abraham imperaturum eſſe poſteris ſuis, ut mea mandata cuſtodiant. Verum præter piam hanc ſollicitudinem, quæ in remotiſſima uſque ſæcula ſeſe effudit; magnus hic Patriarcha exemplo eſſe poteſt parentibus omnibus ejus amoris, quo dilectiſſimum unigenitum Iſaac proſecutus eſt, ſpem frequentiſſimę poſteritatis, quam ſibi Deus pollicitus fuerat. Nihilominus præſto fuit, ut filium hunc illi, a quo ipſum acceperat, immolaret. Egregium amoris exemplum, quo patres filios ſuos diligere debent, parati ad eos Deo devovendos, ubi illos popoſcerit, & ad ſacrificium hoc adimplendum quidquid hujuſmodi in occaſionibus in oppoſitum natura obnitatur.

Monita quæ David morti proximus Salomoni filio ſuo reliquit. *3. Reg. c. 2.*

David morti proximus locupletiſſimam Salomoni filio hæreditatem relinquere cogitabat, hoc illi monitum tradens, eique Domini cultum his verbis ſuadens: *Obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & teſtimonia ... ut intelligas univerſa, quæ facis, & quocumque te verteris, ut confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me, dicens: ſi cuſtodierint filii tui vias ſuas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni anima ſua non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael.* Hoc Patres filiis ſuis inſpirare debent; ſi ſecundum legem Dei vixerint, ac fideles eidem adhæſerint, Dei curę ipſos, ipſorumque negotia futura; ſi autem hac ope ſeſe fraudaverint per vitę nequitiam, illos in æternum perituros.

Tobiæ patris exemplum.

In Scripturis videmus Tobiam, ob eam virtutem, quam a teneris uſque unguiculis colere cœperat, ad eam a parentibus ſedulo inſtitutus; cauſam fuiſſe, ut, cum cæcitate percuſſus fuit, ne in leve quidem murmur eruperit; cum enim in corde ſuo Deum ſemper metuerit, ejuſque præcepta fideliſſime ſervaverit, viam ſuam minime doluit, ſed in amore illius firmus, immobiliſque permanſit, eique omnibus vitę ſuæ diebus gratias egit. Quod autem ad argumentum hoc potiſſimum pertinet, illud eſt, quod quemadmodum ipſe in Dei timore fuerat educatus, ita illi nihil unquam antiquius fuit, quam filio ſuo hunc eumdem metum, peccati odium, & fidelitatem in Dei cultu immittere, uti liquet ex piis, & admirabilibus monitis, quę tamquam pretioſiſſimam hæreditatem filio ſuo jamjam moriturus reliquit. *P. Croiſet elegantiſſima paraphraſi hæc edidit monita, Tomo ſecundo Conſiderationum Chriſtianarum.*

Bona Suſannæ educatio.

Cum ſacer textus generoſum enarrat caſtiſſimæ Suſannæ factum, quæ iniquiſſimæ criminationi ſeſe objicere potius maluit, atque interneccina obſcœnorum ſenum odia ſubire, quam coram Deo peccare, ſtupro, quod illi inferre meditabantur, nullo pacto aſſenſum præbere paſſa. Sacer, inquam, Textus magni hujus facti cauſam ejuſdem pietati, atque parentum educationi refert acceptam. Verba, quibus utitur, notanda ſunt; eam quippe vocat *timentem Deum*; *parentes enim illius cum eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi.* *Dan. 3.*

Exemplum Jacob qui quia majorem teſtatus fuerat amorem erga Joſeph, quam alios filios diſſidium pepererat in familia ſua.

Jacob licet Juſtus, atque acceptus Deo, non excuſatur tamen a S. Ambroſio, eo quod cauſa fuerit ſimultatum inter filios ſuos, cum alios ab aliis nimium diſtingueret; & quod Joſepho dilecto filio fratrum furorem, invidiamque conflavit, ob tunicam illi traditam, quam aliis elegantiorem. Hoc quotidie uſuvenit in familiis, ubi parentes omnia uni tantum tribuunt, quin aliis fere nihilum relinquant; ubi unus quidem tamquam legitimus filius habetur in pretio, alii vero tamquam mancipia negliguntur. Invidia igitur in Sancti hujus Patriarchæ domum obrepit; invidia ibi odium invehit; plerique fratres Joſephum de viventium numero exturbare volunt; omneſque tandem illum vendunt Iſmaelitis, a quibus in Ægyptum abducitur, ubi ſervitutem, carcerem, omnemque calumniæ ignominiam patitur. Quidnam hoc fecit? Nimius patris amor; Jacob Joſephum magis, quam alios diligebat. Huic uni omnes gratiæ, blanditiæ, amoris ſigna impendebantur. Amor ejus minime ſervabat juſtitiæ æqualitatem, quæ vult, naturam eſſe amoris normam, & a parentibus æque eos diligi, quibus æque ſuum ſanguinem dividunt.

Bonæ educationis fructus in Eleazari ſenis perſona.

Nobiliſſimum, quod nobis extet exemplum uberrimi fructus, quem bona parit educatio, profecto eſt Eleazar, venerabilis ille ſenex, cui vis inferebatur, ut carnibus, quæ lege prohibentur, veſceretur eo uſque ut illius amiciſſimi ſenectutis ejus miſerti auctores eſſe vellent, ut Regi ſatisfacturus licitas carnes comederet, ſimulans ſe illis veſci, quæ fuerant immolatæ. Sed Sanctus ille vir ætatem ſuam, dignitatis gradum, honorem, ac domus ſuæ antiquitatem, nec non vitam, quam ab ipſa infantia integerrimam ab omni labe duxerat, ob parentum ſuorum curam, qui eum ſancte ſecundum legis præcepta inſtituerant, ſedulo reputans exclamavit, ſe mortem ſubire malle, quam publicum afferre ſcandalum adoleſcentibus, qui nonagenarium ſenem, poſt vitam in veri Dei cultu, ac timore tranſactam viderent ſub vitæ exitum a religione deficere, ſanctiſſimam Legem abdicantem, ut Idolorum cultum amplecteretur.

Exemplum matris Machabæorum docet quo modo amandi ſint filii.

Videre mihi videor Machabæorum matrem, verborum vi confirmantem animos filiorum ſuorum, qui exquiſitiſſimis torquebantur ſuppliciis. Non ego vobis corpus, quod habetis, compegi, ajebat, illa; illud habetis a Deo; conſtanter illi reddite, quod ipſe vobis liberaliter reddidit. Vos illius opera eſtis, ejuſdem & victimæ eſtote. Omnibus, ſinguliſque animos fecit, ut pro tuenda lege fanda, infandaque omnia paterentur; eoſque abdicaſſet, ſi quid per infirmitatem peccaſſent; neque ulla umquam mater tantum præſetulit deſiderium filiis ſuis vitam ſervandi, quam quod illa teſtata eſt eos morientes videndi; numquam illos verius amavit, quam hac in occaſione omnibus naturæ, ſanguiniſque affectionibus renuntians; atque hoc pacto ſe dignam oſtendit, quæ ad gloriam eos ſequeretur, qui hortationibus ejus acti eam fuerant adepti; atque in eorum ſingulis mortem paſſa eſt, antequam illam in corpore ſuo pateretur.

Pœna Summi Sacerdotis Heli eo quod filios ſuos non corripuerat.

Summus Sacerdos Heli, ſi ejuſdem mores ſpectentur, frugi erat, & ſanctus; ſed quod illi defuit conſtantia ad filiorum ſuorum coercenda flagitia, luendę illi fuerunt acerbiſſimæ pœnæ, ac ſubeunda ſupplicia, quibus Deus, & ejuſdem negligentiam, & filiorum impietatem percuſſit. Plurimos e fidelibus Patres hæc eadem ſors manet, quia eamdem erga filios ſuos præſeferunt indulgentiam. Quamtumvis illi pie, ſancteque vixerint in iis, quę ad privata, ac perſonalia officia ſua pertinent; filiorum ſuorum, quos inſano amore, atque indulgentia, quę veniam pati non poteſt, corrigere neglexerunt, flagitia, nefariumque vivendi genus illos in eamdem reprobationem, ac interitum detrahent.

Exemplum Saræ. *Geneſ. 21.*

Sara Sancti Patriarchæ Abraham conjux, quæ propter virtutem, atque ſapientiam tantopere in Scripturis commendatur, quæ a Sancto Paulo Apoſtolo nobis tamquam mater noſtra conſideranda proponitur, quæ ab eodem propter fidei magnitudinem celebratur, quam Sanctus Petrus ab omnibus nuptis haberi vult, tamquam imitandum exemplar; Sara inquam, tanta cura quidquid Iſaaco filio ſuo prodeſſe poterat, vel obeſſe, proſpiciebat, ut cum vidiſſet Iſmaelem ancillæ ſuæ filium cum eo colludentem, virum ſuum enixe rogaverit, ut ancillam ſimul cum filio ejiceret domo, ne pravo ejuſdem exemplo Iſaaci innocentia labem aliquam pateretur; quam Saræ petitionem probavit Deus imperans Abrahæ, ut hac in re uxori ſuæ gereret morem.

Exemplum Rebeccæ. *Gen. 27. & 28.*

Rebecca Iſaaci Patriarchæ uxor videns filium ſuum primogenitum internecino odio perſequi natu minorem Jacob; huic ſuaſit, licet illud maximo complecteretur amore, ut paterna egrederetur domo, & in remotiſſimam regionem ſecederet, ubi viginti annos commoratus eſt paſcens avunculi ſui greges, quamvis eſſet adeo nobili genere natus. Verumtamen maluit videre illum peregre profectum a patriis focis abeſſe, & ad ſervi conditionem redigi, ut hac ratione ea omnia præverteret mala, quę ex fraternis odiis oboriri poterant, quam natu majorem dimittere, cujus ingenium cum pravum eſſet, ſedula parentum cura, ac diſciplina indigebat. Ex duplici hoc exemplo intelligere poterunt matres, quanta ipſarum eſſe debeat cura, ac diligentia in ſemovendis iis omnibus, quæ filios ſuos corrumpere, eoſque in ſcelus poſſunt pertrahere.

Exemplum Annæ matris Samuelis. *1. Reg. c. 1.*

Anna Samuelis mater, cum a Deo precibus filium hunc impetraſſet, ipſum eidem reddidit. Statim enim ac illum ablactavit, ad Supremum Sacerdotem Heli adductum Dei cultui devovit, eumque in omnes vitæ ipſius dies in loco ſancto reliquit ſeſe omni ſolatio viduans, quod inde recipere poſſet. Deus ita probavit, ac benedixit matris hujus zelum, ut pro hoc plures deinde illi filios largitus fuerit, licet antea ſterilis fuiſſet, & parvulus Samuel divinis repletus gratiis in Prophetam ſanctum evaſerit.

Exemplum Zachariæ, & Eliſabeth.

Noviſſimi parentes, quos lex vetus nobis tamquam exemplar hac in re proponit, ſunt pater, materque Sancti Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Jeſu Chriſti. Hic Domo parentum adeo ſanctorum relicta ab ipſa infantia in deſertum ſecedit veritus, ne ſe vel levi ſcelere pollueret, & vel minimam ex ſæculi corruptione labem contraheret. Auſteriſſimam ille vitam vixit, camelorum corio indui conſuevit; nuda tellus illi ſtratum præbuit, neque aliorum, præterquam brutorum ſocietate gaviſus eſt. Penitus oculorum humanorum aciem effugit; in terra fuit quaſi non eſſet; omni prorſus auxilio, bonis, amiciſque caruit. Attamen Zacharias, & Eliſabeth adeo ſingulari conſilio, cujus nullus umquam retroactis ſæculis exemplum extiterat, non adverſantur. Illum Deus vocat; hoc ſatis eſt; ſciunt hunc deſtinatum eſſe Meſſiæ magni præcurſorem, eique illius prędicandum adventum, ideoque in omni Judæa cum late inſignem futurum, omnibuſque inauditam lætitiam allaturum; nihilominus nulla ſollicitudine urgentur, ut eum quam citius ſancto hoc miniſterio fungentem intueantur. Inquieto ſpiritu Dei momenta nequaquam prævertunt; filium ſuum, talemque filium in tenebris, paupertate, in omni ab humanis negotiis ſeceſſione in Dei manibus relinquunt, quin revocent illum: eum omnino tradunt Providentiæ quin audeant, vel inordinata charitate, vel pietate intempeſtiva aliquid illi præſcribere iis oppoſitum, quę ab eo exigit Deus.

Exemplum matris filiorum Zebedæi.

In novo Teſtamento tres tantum novimus, qui de filiorum ſuorum utilitatibus ſeſe ſollicitos oſtenderunt. Prior eſt mater filiorum Zebedæi, quæ Salvatorem adiit primos gradus Regni ejuſdem, quod terrenum futurum eſſe putabat, duobus filiis ſuis impetratura. Verum ſatis oſtendit Evangelium, matrem hanc, quæ ambitione potius, quam vero filiorum ſuorum amore ducebatur, a Filio Dei ſatis benigne acceptam nequaquam fuiſſe; illi enim reſpondit, neque ipſam, neque filios ejus, quorum conſilio ducta hæc flagitabat, ſcire, quid ſibi vellent; ut illius perſona parentum omnium er-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

rorem perſtringeret, qui omnibus votis concupiſcunt, atque conantur filiis ſuis opes, dignitates, aliaque id genus terræ bona comparare debere, illos quidem ad Deum confugere, ac pro filiis gratias, virtuteſque illis neceſſarias orare; ſed ea, quæ ad fortunæ bona ſpectant, omnia integra divinæ voluntati relinquere.

Exemplum mulieris Chananææ.

Alterum eſt Chananææ mulieris exemplum, laborantis, ut ab eodem Salvatore filiæ ſuæ a Dæmone crudeliter vexatæ ſalutem obtineat. Eam Dei Filius primum quidem repellit, importunam vocat, iiſque verbis alloquitur, quæ illam omnino avertere debuiſſent, niſi maxima flagraſſet cupiditate aliquod filiæ ſuæ inveniendi ſolatium. Sed repulſa, ac duriuſcula verba, quibus tunc uſus eſt Jeſus Chriſtus, uti Sancti Patres animadvertunt, ideo prolata fuerant, ut illa ad enixius, fidentiuſque flagitandum excitaretur; itaque eam voti damnavit, atque oſtendit, preces, quas pro filiis parentes effundunt, magni roboris eſſe tunc præſertim, cum petitur, ut liberentur a vitiis, quibus obnoxii ſunt, & quibus veluti tot Dæmonibus obſidentur.

Ilius Patris exemplum, cujus filius a Dæmone muto vexabatur.

Tertium eſt illius patris exemplum, qui ſimiliter ad Salvatorem confugit, eum obteſtaturus, ut doloris ſui, & infelicitatis filii ſui, qui muto, ſurdoque Dæmone ab ipſa torquebatur infantia, & qui in jugi vitæ periculo verſabatur, quemadmodum apud Sanctum Marcum capite nono legere eſt, vellet miſereri. Nihil ultra requirebatur ad clementiſſimi Salvatoris excitandam miſericordiam, qui toties ſuam poteſtatem, ſupremumque in Dæmones imperium palam oſtenderat. At in hac occaſione Diſcipulos ſuos, qui Dæmonem hunc ejicere non potuerant, docuit hujus genus Dæmonia (quod de vitiis praviſque habitibus, quos adoleſcentes ab ipſa contrahunt infantia intelligi poteſt) non ejici niſi ſumma cum difficultate, ac parentibus obnitendum, ut jejuniis, precibuſque gratiam hanc conſequantur. *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio.*

Applicationes,

Filii ſunt ſacra depoſita a parentibus diligenter ſervanda.

Commodavit eum Domino, 1. *Regum cap.* 2. Cum vobis Deus filios largitus eſt, ſcitote parentes, Sanctus Chryſoſtomus inquit, eos in manibus veſtris tamquam pretioſum, ac inſigne depoſitum collocatos fuiſſe; vobis ergo quam diligentiſſime ſervandi ſunt, tamquam res ſacræ, ac Dei referentes imaginem, ut aliquando eos illi reddere valeatis. Eodem momento, quo filii veſtri fuere, fuerunt etiam filii Patris Cœleſtis, qui eos curæ veſtræ commiſit; debetis ergo eos in nomine ipſius enutrire, eoſque immortali præparare hæreditati, quam Deus per manus veſtras eiſdem conferre deſiderat. Quam bene munus hoc, & officium intelligebat Samuelis mater, quæ poſtquam non ſine quadam miraculi ſpecie hunc filium ſuſceperat, illum aris dicavit, veluti depoſitum ſuum in tuto collocatum, ac illud Domino, a quo acceperat, reddítura: *Commodavit eum Domino*, vel ut Sanctus Chryſoſtomus vertit; *Depoſitum accepit, hoc ei reſtituit, qui dedit. Biroat Sermone pro feria quinta poſt alteram Quadrageſimæ Dominicam.*

Parentes filios ſuos Dæmoniis ſacrificant cum illos effrænata ſeſe jactare licentia patiuntur.

Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis. Pſalm. 105. Loquitur Regius Propheta de nefariis illis parentibus, qui parvulos filios idolis mactabant, illos in ardentem conjicientes rogum, donec idolorum Sacerdotes, credulitatis eorum miniſtri, variis pſallebant inſtrumentis, ne morientium puerorum ejaculatus a parentibus audirentur. Quid fit in pleriſque Chriſtianis familiis? Vanitatis, ac licentiæ Dæmoni filii immolantur; atque interim ſolatia, ludi, choreæ, aleæ morientium animarum ſuffocant gemitus, & inter concentus eos ad æternum ducunt interitum. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis. Idem.*

Parentes novam filiis ſuis vitam elargiri tenentur eos ad virtutem formando.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Ad Galat. 4. Patres, matreſque jugiter ſecum reputare opus eſt, ſe filiis ſuis alteram debere nativitatem priori longe nobiliorem, ſanctam videlicet vitam ad exemplar vitæ Jeſu Chriſti, qui noſtra norma eſt, diligenter compoſitam; ſibi formandum in illis eſſe Jeſum Chriſtum pro viribus adnitendo, ut illis virtutes inſpirent; hos filios non aliud eſſe, quam initium creaturæ Dei, ut alius loquitur Apoſtolus, ab ipſis præceptis, & ſapientibus monitis, & bonis exemplis perficiendæ. Vobis perſuaſum eſſe debet, o Parentes, Pictores vos quoſdam eſſe, ac ſtatuarios; filios autem veſtros, qui domi veſtræ ſunt, pulchras eſſe imagines, vel aurea ſimulacra, a vobis ſingulis diebus formanda, & perficienda, donec in illis Jeſus Chriſtus formetur integre, ac producatur. Indeſinenter igitur adlaborate, ut eorum animas quovis virtutum genere exornetis.

Parentibus cavendum, ne fiant cauſa interitus filiorum ſuorū.

Videte, ne ſcandalizetis unum de puſillis iſtis. Matth. 8. Ubi adoleſcentuli adſtant, generatim cautius agendum eſt: parentes potiſſimum diligentiſſime cavere debent ne fiant lapis offenſionis parvulis ſuis, quorum ipſi ſunt Cuſtodes Angeli. Hoc autem non intelligitur ſolum de malo exemplo, quod filiis præbere poſſent, verum etiam de incuria, & negligentia, qua illos bonis moribus formare contemnunt, quæ occaſio eſt, ac vera cauſa eorum interitus. Itaque hoc unum ex iis eſt, quorum Deus rationem ſeveriſſime expoſcet. Mollis indulgentia, qua vident filios a recta via deflectentes, illos in vitio confirmat, & ad majora ſcelera diſponit: cum illos edocere negligunt, vel male inſtituunt, cauſa ſunt damnationis eorum, & hoc vocari poteſt ſcandalizare. *Videte ne ſcandalizetis unum de puſillis iſtis.*

Filii tales ſunt, qualis eorum fuit educatio.

Quis putas puer iſte erit? Luc. 1. Si quæreretur, ut olim de magno Joanne Baptiſta quæſitum eſt, quem putas puerum hunc futurum quem, ſecundum ſæculi mores & ingenium inſtituis? Reſpondere poteris, ipſum in mundo magnum futurum propter illuſtris generis, quod a te mutuatus eſt, privilegia, propter magna bona, præſtantiaque decora, quæ illi relinquis, at dicerene poteris, quod de Joanne illo dictum eſt; hunc coram Domino magnum eſſe futurum? Tu, qui illius blandiris affectibus, qui foves vitia, qui flagitiis indulges, qui licentiam, malaſque fraudes probas, e contra reſponde; hunc talem fore, qualem feciſti, & mala hæc initia, quæ tribuis illi, in peſſimum finem abitura. *Fromentieres, Sermone de S. Joanne Baptiſta.*

Adoleſcentiæ vitia in omnem vitam ut plurimum vigent.

Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: Marc. 9. Narrat Sanctus Marcus Evangeliſta, quemdam puerum olim a patre ſuo ad Jeſum Chriſtum adductum fuiſſe, ut liberaret illum a Dæmone muto adeo furenti, ut adoleſcentuli corpus diſcerperet. Salvator antequam eum curaret, quæſivit ex quo tempore puer ille obſideri incæpiſſet; cui Pater *ab infantia* reſpondit. Hoc ipſum nos quoque dicere poſſemus de pleriſque adoleſcentibus, quos per vitium obſidet dæmon: ſi enim ex hoc juvene vivendi licentiam in delitiis habente, quæſiero, ex quo ille blaſphemus, impudicus, libidinoſus eſſe cœperit; reddet ille mihi: *ab infantia*; vix verba proferre didiceram cum audiens patris blaſphemias, matriſque imprecationes, eorum exempla ſequi orſus ſum. Nondum de Deo mihi verba fecerant, nondum ex illis Deo preces effundere didiceram, cum jam obſcœna verba, turpeſque cautiones proferre docuerant: *Ab infantia. Ex Patre Texier in Quadrageſima.*

Parentibus præclara eſt conſolatio filios bene educaſſe.

Erudi filium tuum, & dabit delitias animæ tuæ. Prov. 29. Parentibus nulla verior, & ſuavior conſolatio eſſe poteſt, quam filios habere optime inſtitutos. *Qui docet filium ſuum laudabitur in illo.* Sapiens ait. Nihil majorem patri gloriam affert, quam recta filiorum inſtitutio; nihilque e contra majus affert parentibus dedecus, quam pravi filiorum mores eorum ignorantia, atque inurbanitas: *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato.* Nihil igitur diligentius curandum eſt; nihil majori eſt habendum in pretio, quamvis nihil hodie magis contemnatur, quam educatio filiorum. *P. Croiſet, Tomo 2. Conſiderationum Chriſtianarum.*

Eccli. 30.

Eccli. 22.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Valde pernicioſe ſentiet filius patris lenitatem, ut poſtea juſte ſentiat Dei ſeveritatem. Auguſt. Pſalm. 50.

Non laudo in homine, quod video in tigride, (nempe amorem in filios.) Idem, Homilia 38. ex 50.

Non laudandus eſt qui filios amat, ſed deteſtandus qui non amat. Idem, ibidem.

O doloſa libertas! o grandis filiorum perditio! o paternus amor mortiferus! Ecce filios ſe dicunt diligere, quos jugulari procurant; dicunt eos amare, quibus jam diſpendia parant. Idem, vel alius author Serm. 33. ad fratres in Eremo.

Fie-

Fieri non poteſt ut filius iſtarum lacrymarum pereat. Lib. 3. Confeſſ. cap. 12.

Quanto amplius diligunt filios, patres, tanto amplius ad bonam vitam compellunt. Idem, Epiſt. 167.

Difficulter eraditur, quod rudes animi probibuerunt. Hieronymus Epiſt. ad Lætam.

Portare debemus, (nempe in ſinu) quos corrigimus, & corrigere quos portamus. Gregor. Hom. 17. in Evang.

Adoleſcentes magis metu, quam ratione revocantur a vitio. Ambroſ. lib. de Joſepho Patriarcha.

Ad negligentiam patrum refertur inſolentia filiorum. Idem.

Jungat liberos æqualis gratia, quos jungit æqualis natura. Idem, lib. de Joſepho, cap. 2.

Meminiſſe debent patres, quia & ipſi fuerunt filii, & noluerunt utique exacerbari a patribus: filii quoque cognoſcere debent, quod futuri ſunt patres, & nollent inhonorari ab eis. Idcirco utrique exhibeant invicem, quod exquirunt ab invicem. Idem, Epiſt. ad Epiph. 6.

Magnum depoſitum habent parentes, filios. Chryſ. Hom. 9. in Epiſt. ad Hebræos.

Magna eſt naturæ tyrannis, & inexpugnabilis viſcerum neceſſitas. Idem, Homil. 17. ad Popul. Antioch.

Apoſtoli eſtis familiæ veſtræ; hanc Apoſtolus vocat Eccleſiam domeſticam: huic præſidetis, hanc inſtruitis. Idem, in hæc verba, Eccleſia domeſtica.

Libri ſunt, labia parentum, nempe ad erudiendos filios. Idem lib. adverſ. vituperat. vitæ monaſt.

Adoleſcentia tamquam ſubacta, & mollis cera eſt, quæ impreſſas quaſcumque formas in ſe facile recipit, & molliſſime cedit. Baſil. in Regul. fuſius inter. cap. 15.

Omnia quæ deliquerint filii, de parentibus requirentur, qui non erudierint, neque corripuerint eos. Orig. lib. 2. in Job.

Oſtendit eis (filiis) de veſtra converſatione fugere malum, appetere bonum, odiſſe peccatum, timere judicium, & amare Deum. Euſeb. Emiſſen. Homil. 3. Epiph.

Non parentes, ſed peremptores. (Sic eos vocat qui male liberos inſtituunt.) Bern. Serm. 2. ſuper miſſus eſt.

Ex hoc affectu, quo amare nos fecit Deus, pignora noſtra, intelligere nos voluit quantum ipſe amaret pignora ſua. Salvianus lib. 4. de Providentia.

Deus curis ſuis patres aſſociat. Chryſoſt.

Eſto filiis tuis pater, non proditor. Cyprian. Serm. 1. de Eleem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu in hoc argumentum poſſit depromi.

Quid ſit bona educatio, & in quo conſiſtat.

Chriſtiana educatio, quam parentes filiis ſuis debent, eſt illos in Dei timore inſtituere, erudire, vel efficere, ut ab aliis de iis, quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, deque vitę civilis officiis juxta conditionem ſuam erudiantur; eorum moribus, actionibuſque invigilare, eorum defectus redarguere, illos enutrire juxta fortunæ ſuæ bona; ac tandem opem ferre, ut eum ſtatum amplectantur, ad quem vocantur a Domino, in his enim ea conſiſtunt officia, ad quæ patres erga filios tenentur.

Cur voluerit Deus patres, ac filios eſſe.

Quæritur cur inſtituerit Deus hunc Providentiæ ſuæ ordinem, quem in humani generis propagatione videmus, atque voluerit & parentes, & filios eſſe, alioſque ab aliis produci; poterat enim immediate ſuiſmet manibus omnes homines creare, quemadmodum omnes creavit Angelos, inter quos nec genitores ſunt, neque geniti, nec noſtrarum cognationum nomina cognoſcuntur. Sanctus Chryſoſtomus ait, placuiſſe Deo, inter homines parentes eſſe, ut ex amoris experientia, quo filios ſuos complectuntur, intelligerent charitatem Dei erga omnes homines, quatenus eorum Parentis optimi, & Creatoris. Alii tamen putant, & potiori jure, hoc voluiſſe Deum, ut ſuavius, & efficacius alios aliorum miniſterio ſalvaret; videlicet, ut patrum cura, & cooperatione filiorum ſaluti proſpiceret.

Ideo voluit Deus Matrimonium eſſe Sacramentum.

Voluit Deus, conjugium Sacramentis adnumerari, ut conſecraret origines, unde filii erant proditurí, atque ut ex patrum ſanctificatione quaſdam ad ſalutem conſequendam diſpoſitiones nati reciperent. Animadvertendum quippe eſt partem gratiarum, quæ ex hoc fluunt Sacramento, prodeſſe parentibus, ut filios ſuos bene inſtruere valeant; ideoque fatendum eſt, parentes, ubi probi ſint, & fideliter ſuo munere perfungantur, non levia eſſe adminicula ſalutis, ac prædeſtinationis filiorum ſuorum.

De parentum in filios amore.

Non extrema inter rationes, propter quas tenentur parentes filiorum ſaluti invigilare, ex eo deſumitur, quod illos amare tenentur. Nullis hic opus eſt argumentis, ut parentibus probetur, filios ſuos ipſis eſſe diligendos; natura quæ feris ipſis hunc amorem inſpirat, eos hac in re ſatis erudit. Hinc ſæpe videmus, quia nimio, nimiumque naturali amore illos diligunt, male, atque inordinata charitate diligere, cum hæc divinis legibus ſubordinata non eſt, cum illos flagitioſos eſſe ſinunt, ne illis diſpliceant, doloremque afferant; cum majorem corporum, quam animarum curam gerunt; cum enixius illis temporalia congerere feſtinant bona, quam virtutes ab illis ſtudeant comparari. Quamobrem, ut hic amor ſit juſtus, & rectus, eſſe debet chriſtiana Charitas, qua tenemur illos propter Deum, & ſecundum Dei præcepta diligere, quod efficit, ut parentibus ſemper arrideat quidquid Deus de illis diſpoſuerit, ac numquam obliviſcantur filios, quos genuere, Dei potius eſſe, quam ſuos.

Finis, propter quem Deus parentibus filios tradit.

Parentum plerique non ſatis reputant, quo conſilio, qua mente Deus ipſis filios conceſſerit; neque enim arbitrari debent; hos ſibi datos pro familiarum ſuarum gloria, ac perennitate, ut opum ſuarum, nominiſque hæredes relinquant, qui patriis ſuccedant honoribus, atque reſpublicas, ac imperia conſervent. Cur igitur? Ob id unice, ut prædeſtinatos efficiant, quibus Cœlum repleatur; verbo, ut patres beatam, æternamque vitam pro virili dare contendant iis, quibus corporum vitam dedere. Hoc igitur potiſſimum ob oculos eorum verſari debet, & in hoc omnes curas ſuas præſertim impendere.

Diſcrimen inter Ethnicos, & Chriſtianos de filiorum educatione.

Qui inter Ethnicæ ſuperſtitionis tenebras verſantur, & quibus rationis tantum lumen affulget, id unum cogitant, ut terras hominibus æque infidelibus, ac ipſi ſunt, repleant, neque aliam ipſis educationem impertiunt, niſi quam corrupta natura ſuadet. Non aliud illi ſibi proponunt finem, niſi ut filios ad inſignem aliquam terrenam fortunam extollant; nullam quippe hac meliorem agnoſcunt: Sed Chriſtiani Patres filios Cœlo educant, ut totidem Prædeſtinatos efficiant.

Parentes ex juſtitia tenentur filios recte inſtituere.

Ex juſtitia parentes filiis ſuis ſanctam, chriſtianamque educationem procurare tenentur; hæc enim communis eſt apud Philoſophos ſententia, & rationi eidem innixa; cauſas, quæ aliquid gignunt, huic debere, quidquid ad illius ornatum, & perfectionem requiritur. Ita Deus, quemadmodum Sanctus Thomas animadvertit, ſpecie quadam naturalis convenientiæ tenetur creaturis ea tribuere, quæ ad eſſentiam ipſarum vel conſervandam, vel perficiendam requiritur; & huic æquiſſimæ ſententiæ parentum innititur ſtudium, poſtquam filiis ſuis vitam dedere, eiſdem relinquendi, unde vivere poſſint juxta eam conditionem, quam ex ipſa nativitate ſortiti ſunt. Cura hæc juſtiſſima eſt ac a nemine vituperanda: verum ex naturalibus hiſce officiis alia ſublimior quædam eruenda eſt obligatio, ac ſupernaturalis juſtitia, quæ parentes obligat, ne curas ſuas in hæc tantummodo peritura bona tranſmittant; ſed filiorum ſuorum ſanctitati, beatæque eorum æternitati proſpiciant. Etenim in homine Chriſtiano duplex invenitur eſſentia, naturalis altera, altera ſupernaturalis; quæ ut utraque perficiatur, parentes conſulere debent ſecundum duas has conditiones, quibus divina eos deſtinat Providentia.

Mala filiorum educatio ſpecies eſt originalis peccati.

Poſt originale peccatum neſcio, utrum aliud vel magis univerſale, vel Chriſtianę vitę magis oppoſitum malum ſit mala filiorum educatione. Hæc altera eſt originalis peccati ſpecies; neque enim priori minus late patet; ita per perſonale parentum noſtrorum peccatum illud contrahimus; & hæc ſecunda natura eſt nequaquam minus corrupta, quam prior. Hoc & parentum noſtrorum peccatum eſt, & noſtrum; illorum quidem in principio; noſtrum autem in effectu. Mala filiorum educatio magnum profecto parentibus peccatum eſt, & admodum commune: quot enim videmus, qui vel per ignorantiam, vel negligentiam, vel infirmitatem, vel etiam, quod multo deterius eſt, per nequitiam huic muneri deſunt? Illud vero deflendum uberrimis lacrymis eſt, quod filii pœnas luunt peccati parentum ſuorum, quemadmodum in originali peccato contingit.

Magnitudo peccati

Magna profecto eſſe putanda eſt parentum filiorum educationem negligentium culpa, quandoqui-

dem

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Parentum filiorum educationem negligentium;

dem Sanctus Paulus Apoſtolus ait, qui eam patraverit, jam fidem negaſſe, & infideli eſſe deteriorem. Infideles, Sanctus Joannes Chryſoſtomus inquit, eos hac in re ſuperant, quod non negligunt eos, qui ſpectant ad ipſos; licet enim vanitate correpti nonnumquam contemnant ad ſe minime pertinentes; domeſticos tamen ſuos diligunt; neque committi hoc ſcelus poteſt, quin ſacra, humanaque jura ſimul infringantur: *Divinas leges plane violat, & jura naturæ*. Igitur peccatum eſt omiſſionis in re gravi, maximique momenti, ideoque graviſſimum; & licet patres propter ſuam vivendi rationem reprehendi minime poſſint, omniaque Chriſtianæ Religionis munera ad unguem adimpleant; ideo reprobabuntur, quod hoc in uno defecerint.

De correctione paterna.

Patres Chriſtiani filios ſuos corripere, ac in eos animadvertere debent, ut eorum defectus pro viribus tollant. Quomodo autem? eo modo quo Deus electos ſuos corripit, videlicet quia diligunt illos, eorum redargutiones emanare debent ex amore, quo illos complectuntur, & ex deſiderio, quo flagrant videndi illos virtutibus decoratos, atque perfectos. Verum eſt nequaquam utendum eſſe ea via, quæ ſeveriſſima habetur: eos quippe monet Apoſtolus, ne provocent filios ad iracundiam, ne illos irritent, atque exaſperent, ne forte deſpondeant animos, atque correctionem peroſi incorrigibiles fiant. Verum cum lenitas, atque prudentia minime proſint, violentis remediis abſtinendum non eſt, neque vitia eorum toleranda ſunt, quia illi nimis amantur, Sanctus Auguſtinus non modicam vitiorum ſuorum partem acceptam refert molli patris indulgentiæ: Cum male loquebar, vel aliquid peccabam, pater meus, ait ille, omnia in riſum traducebat, dicebatque, mihi ſpiritum non deeſſe. Licebat mihi in omnem ruere licentiam, libidinemque, ille enim vita mea patiebatur; neque reperiebam ſalutarem manum, quæ correctionibus tempeſtivis me illinc divelleret; *Exceſſerunt caput meum tribuli libidinum, & nulla erat eradicans manus*.

Amor ſæpe parentes excæcat, ne filiorum vitia cognoſcant.

Duo ſunt cæcitatis genera in parentibus erga filios ſuos; prima in eo poſita eſt, quod graviſſima filiorum flagitia nugas putant, vel ad ſummum ferventis adoleſcentiæ impetus, quos ætas efficit innocuos; altera vero in eo, quod illis concedunt, quidquid ipſis libet, quamvis hoc ut plurimum vel culpa non vacet, vel ducat in ſcelus. Deus eorum punituru ignaviam omnia filiis eorum detrectat; eos divitiis augere vultis; Deus vero illos egenos efficiet; eos ad honores attollere quæritis, Deus vero deprimet illos. Vos eorum tantummodo perſonam reſpicitis, quin peccata intueamini; Deus vero e contra magnitudinem tantum peccatorum eorumdem conſiderabit; denique eo in illos ſeverius animadverteret, quo vos illis fueritis indulgentiores.

Parentes debent filiis exemplum.

Parentum plerique ſibi perſuadent ſatis eſſe genuiſſe liberos ſuos, quin ſibi adlaborandum putent, ut illis ad virtutem aperiant viam; vel ad ſummum ſatis eſſe illos erudire, atque de officio ipſorum commonefacere, & ubi bene egerint laudibus excipere, ubi vero male exprobrare. Hæc quidem omnia recta ſunt; ſed aliquid ulterius requiritur; opus eſt enim, ut parentum doctrina exemplis probetur. Et conſtat ratio: Filii enim ſuopte ingenio parentum exempla ſequuntur; & quia natura noſtra corrupta eſt a peccato, cum quo naſcimur, potius ad vitia, quam virtutes imitandas ſunt proni. Quamobrem tenentur parentes eamdem ferme erga filios reverentiam præferre, quam filii erga ipſos; oportet, ſibi diligentiſſime caveant, ne quid minus recte dictum, vel factum ſibi excidat; & ſi quid umquam peccare cupierint, adſpectus, ac præſentia filiorum eos prohibere debet, ac deterrere.

Quid peculiariter a parentibus docendi ſint filii.

Cum homines a prima uſque pueritia ad eum finem, pro quo nati ſunt, pro pectore contendere debeant; ubi primum rationis uſum obtinuerint explicite docendi ſunt, Sanctus Thomas ait 2. 2. *quæſt. 8. art. 1. in corp.* Dei Unitatem, divinarumque perſonarum, quæ beatitudinis noſtræ objectum futuræ ſunt, Trinitatem. Cognoſcant præterea opus eſt viam, qua ad terminum hunc pervenitur, ideoque imbuendi ſunt præcipuis Fidei Myſteriis, quæ Filii Dei incarnationem, & ea ſalutis adminicula, quæ nobis reliquit, reſpiciunt; verbo fundamenta fidei, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, Sacramenta ad ſalutem neceſſaria, mandata Dei; quid ille petat, ut ſalvi fiant, & quid interpoſita æternæ damnationis pœna prohibeat.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Bonæ educationis neceſſitas.

CUm mundi ſpiritus, qui perturbationis, & inverſionis eſt ſpiritus, ita pietatis fundamenta in plurimorum fidelium corde ſubverterit; neceſſario validum opponendum eſt vallum torrenti huic late univerſalem ruinam minitanti; cumque ille ab adoleſcentiæ corruptione incœperit, & ex mala puerorum educatione; mali hujus repetenda origo eſt, atque totis viribus adnitendum, ut fons hic veneno imbutus expietur. Cum fructus aliquis omnino computruit, atque contabuit, una hæc ſupereſt ratio primogenitam illi bonitatem tribuendi, ac efficiendi, ut iterum refloreſcat, videlicet ſemen ejus in terram optime præparatam conjicere; tunc enim germinat ſemen, folia, flores, & fructus emittit. Hæc una vera eſt ratio, qua fieri poteſt, ut in ordine gratiæ reviviſcat Chriſtianæ Religionis ſpiritus? qui fere penitus in fidelium corde corruptus eſt; videlicet ſi omnes animi vires convertantur ad inſtituendam adoleſcentiam, præſertim vero ad pueros a teneris uſque unguiculis optimis præceptis imbuendos; Namque primi hujus officii defectus cauſa eſt primum quidem corruptionis morum, deinde vero diſſenſionum, malorumque omnium, quæ in Rebus publicis, familiiſque contingunt. *Liber cui titulus, Chriſtiana Inſtructio pro puellarum educatione*.

Hunc parentes ſibi proponere debent finem, ut cum corporali ſpiritualem etiam filiis ſuis vitam tribuant. *Lib. 4. contra Julianum.*

Omnis parentum felicitas in eo poſita eſt, ſi filiis ſuis corporalem vitam tribuant illos Jeſu Chriſto regeneraturi; quo uno excepto nihil ſupereſt niſi temporalis, atque æterna miſeria cum in hoc mundo, tum in altero. Conjugum piorum hæc eſſe mens debet, Sanctus Auguſtinus ait, ut ſeſe ſpirituali præparent regenerationi per generationem corporalem; neque ſufficere debet illis, ſi in familia ſua ſucceſſores habeant, atque hæredes; verum hæc etiam illis eſſe debet voluntas Deo quidem hæredes, cohæredes vero Jeſu Chriſto tribuendi, quemadmodum Apoſtolus loquitur; cum parentes ſint veluti viventes, animatique rivuli, per quos efficit Jeſus Chriſtus, ut in filiorum corda gratiæ, ac cœleſtes benedictiones emanent, quarum theſauri in manu ipſius inveniuntur. Non enim filiorum intereſt pro patribus ſuis theſauros congerere; ſed parentum eſt pro filiis eoſdem comparare; atque hujuſmodi theſauri, non aliud ſunt, S. Baſilio teſte, quam illos erudire, atque docere quomodo metuant Deum, eique famulentur. Hic ingens ille theſaurus eſt, quem Tobias pater filio moriturus reliquit; & hanc pietatis, virtutiſque hæreditatem filiis ac nepotibus poſt mortem relinqui, jubet Scriptura. *Idem*.

Ipſa videtur natura parentibus injeciſſe neceſſitatem filios erudiendi.

Matrum negligentia, patrumque negotia conſuetudinem invexere committendi alienis filiorum ſuorum inſtitutionem. Hoc non cogitabat natura, cum matri quidem lac, teneramque benevolentiam, patri vero prudentiam, atque intelligendi vim ſuppeditabat. Hoc illius erat conſilium, ut gloriam fœcunditatis eorum expleret, eoſque parentes efficeret ejus filii, filiæve, qui eorum eſſent omnino filii, & qui victum, ac inſtitutionem ſuam eorum tantummodo labori, ac vigilantiæ deberent. Si enim filius aliunde, quam a patre virtutem acquirit, jam ex dimidio ad parentes ſpectat, qui jure præclara ejus facta ſibi vindicare non poſſunt. A Parentibus quidem refert acceptam eſcam, & potum; at inſtitutoribus refert ſuis, quod ſapienter agere poſſit, honeſte vivere, & Chriſtiane mori. *Idem*.

Optimum, efficaciſſimumque corruptionis ſæculi remedium eſt bona filiorum educatio.

In tanta morum corruptione, in qua mundus hodierna die verſatur, diligenter habere curam, Sanctus Auguſtinus ait, domos veſtras bene regendi, ac in familiis veſtris filios optime inſtituendi. Hæc ratio eſt maxima tollendi mala, ac prohibendi majora; & quemadmodum intereſt noſtra vos alloqui, ac in Eccleſia erudire: ita intereſt veſtra, domi veſtræ ſerio adlaborare, vos enim Paſtoris munere fungi poteſtis, idem ait. Ita eſt; non licet vobis tantum imitari, ſed cum Epiſcopis, ac Sacerdotibus cooperari, ac cum eiſdem Evangelici verbi miniſterium partiri; ut cum filios corripueritis, docueritis, hortati fueritis, tuto poſſitis aliquando illos offerre Supremo viventium, ac mortuorum Judici, & Domino. *Idem*.

Bonæ educationis utilitas.

Educatio bona bonæ vitæ fundamentum eſt, atque præſtantiſſimarum actionum principium. Sanctorum, Sanctarumque in Cœlo exiſtentium plerique poſt Deum ſanctæ, atque Chriſtianæ parentum ſuorum

inſtitutioni ſuam debent ſanctitatem. Celebratur in Scripturis Abraham quod hæroice fidei exemplo divinas filio ſuo Iſaac poſteriſque ejus promeritus fuerit benedictiones. Tobias infinitis celebratus fuit laudibus, & hodierna quoque die celebratur propter ſaluberrima monita, quæ filio ſuo, atque Chriſtianis omnibus in ejus perſona reliquit. Verum ſi hæc eſt Eccleſiæ gloria, quod Chriſtianorum filii bene inſtituti ſint, atque in ſanctis ejuſdem præceptis enutriti; ex filiorum optima educatione non minor Reipublicæ gloria, atque utilitas cedit. *Idem*.

Cura, quam matres ſuſcipere debent, educationis filiarum.

Ex omnibus curis, quas matres ſuſcipere debent, ut filios ſuos optime inſtituant, nullam enixius illis S. Joannes Chryſoſtomus commendat, quam puellarum, quæ facile utriſque impreſſionibus patent; & quæ cum mitiori ſint ingenio, magis etiam ſunt dociles, ac recipiendis præceptis idoneæ. Maturato igitur virtutis amor illis immittendus eſt, eiſque ille vanitatis auferendus eſt ſpiritus, quem adeo facile imbuunt; namque hodie in pleriſque puellarum immodica tantum ambitio ac vanitas modum omnem ſupergreſſa videtur; faſtus tantummodo, ac licentia deprehenditur; quæ omnia ex matrum incuria procedunt, quæ cum & ipſæ minime fuerint inſtitutæ, ut Chriſtianas virgunculas decuit, humilem habent chriſtianæ vitæ ideam; quia de aliis nihil, quam de ſe ipſis, nobilius ſentiunt, digulioremque ideam concipiunt. *Idem*.

De bona pueritiæ educatione.

Non ſatis eſt vitium ab infantia prohibuiſſe, omnibus etiam viribus adnitendum, ne confirmetur in adoleſcentia, qua ætate affectus vehementiores ſunt, magis vividi, ac violenti; & oculi animuſque vanitati, ac voluptatibus maxime patent. Prior in ſcelerum ſtadio greſſus, ſtatim ab aliis excipitur; vitium ita plerumque progreditur, & qui peccare incipit, brevi in inſignem reprobum tranſit; quamobrem generalis illa ſententia, quæ pro corporum tuenda valetudine proponitur, pro animarum ſalute maxime eſt neceſſaria. Obſta principiis; nihil negligendum puta, ne funeſti conſequantur effectus. Adoleſcentia, ubi affectus per ætatis fervorem, corporiſque bene valentis robur facilius commoventur, ac majori feruntur cum impetu, tempus eſt pueris excolendis aptiſſimum; hæc illa ætas eſt, qua mala eradicentur arbuſta ex novali agro primum ferente fructum prodeuntia; denique hæc ætas eſt bonis, maliſque impreſſionibus magis pervia, & ad ſanctos habitus ſuſcipiendos aptiſſima. *Idem*.

In quo poſita ſit cura, quam plerique patres gerunt.

Plurimi patres nihil intentatum relinquunt, ut filiis ſuis ingentia prædia, magnificas domos, uberes agros acquirant, eis ſuperbas veſtes, ſuperbumque ſervorum comitatum comparent; qui tamen ne minimum quidem laborant, utrum eorum anima ſit ornata virtutibus, & eorumdem vitæ ratio pia ſit, atque chriſtiana. Hoc univerſum terrarum orbem innumeris replet vitiis; quod filiorum noſtrorum curam non gerimus, quod illos locupletare ſtudemus, quod illos bonos efficere negligimus, qui quidem inſaniæ totius cumulus eſt. Licet enim ingentem obtineant opum vim, niſi ſint boni, ut illis cum ſapientia, ac virtute uti poſſint; hæ brevi interibunt ob eorum vitia; & id unum efficient, ut Dei ingruat maledictio ſuper eos, qui poſſederint illas: cum e contra ſi ſapientes fuerint, ſi habuerint cor magnanimum, & generoſum, ſi mentem habuerint imbutam divina, ac ſublimi philoſophia, quam Dei Filius homines docuit, quamquam nihil habeant, poſſidebunt omnia, quia omnia hujus terræ bona contemnent. *Sermo hic deſumptus eſt ex Sancto Chryſoſtomo*. *Idem*.

Quomodo exprobrabit Deus patrem, qui filios ſuos erudire neglexerit.

Quid autem fiet, niſi filiorum veſtrorum curam geſſeritis, quorum diſtrictam reddituri eſtis rationem terribili noviſſimi judicii die non quidem in hominum ſtatera, ſed ad pondus Sanctuarii? Tunc dicet Deus, nonne puerum hunc dedi in domo tua ab initio vitæ ipſius? Nonne te conſtitui ejuſdem magiſtrum, ducem, ac judicem: Nonne abſolutam in ipſum poteſtatem contuli tibi? Nonne ab ipſius incunabulis dedi illum in manu tua, ut eumdem ad pietatem informares? Sperare audes te a me veniam conſecuturum, ſi ferventis, inconſultæ, ac in omnia flagitia ruentis adoleſcentiæ impetu eum rapi ſinis? Quid tunc reſpondebis? Diceſne filium hunc difficilem fuiſſe, indocilem, licentiæ amatorem, ac oſorem diſciplinæ? Verum tuum erat maturato prohibere; & cum adhuc tenellus erat, & per ætatem facile ad virtutem flecti poterat, illum paulatim ad officium revocare, ſanctæ diſciplinæ jugum illi injicere, ad virtutem formare, affectus coercere, & animi morbis mederi, cum nondum inveteraſſent; atque ſpinas haſce convellere, cum vix prodiiſſent. Quæ igitur excuſatio veſtra erit, o parentes, ſi Deo ſevere pœnas repetente injuriarum, quibus a filiis veſtris laceſſimini, vos earum obliti fueritis, quibus Deum provocarunt? Si Deo illos morte puniente cum vos lædunt, ne ſancta quidem iracundia exardeſcitis in eos, qui infinitam ejuſdem majeſtatem offendunt? Volui equidem, vobis aliquando exprobrabit, volui vitam ingratis filiis auferre, qui vos affecerant contumelia; vos autem ne duriuſculum quidem verbum illis dixiſtis, cum mandata, legeſque meas conculcarent. *Idem*.

Parentum filios bonos habentium conſolatio. Bonæ educationis utilitas.

Si autem filius, aut filia veſtra in ſe hominum venerationem convertit, qua lætitia perfundimini vos, qui parentes eorum eſtis, & qui in eorum pietate majorem invenitis occaſionem illos amandi, quam ſit naturæ vinculum, & ſanguinis? Profecto quemadmodum qui in Deum ſunt ingrati parentes ſuos aſpernantur; ita e contra, qui pietate ſua Deum colunt, illis quoque adhibent reverentiam, a quibus nati ſunt, & quorum opera Deus uti voluit, ut in hanc lucem prodirent. Itaque hæc omnia nos cogunt eorum curam quam diligentiſſime gerere; conſideratio Dei hoc præcipientis, & hominum, qui nos ideo pluris æſtimabunt; noſtra quoque conſolatio in præſenti vita, quam filiorum virtus ſuavem, beatam, & jucundam efficiet; ac juſtus denique futurorum ſuppliciorum metus, quæ, ſi huic defuerimus officio, nobis impendent. *Idem*.

Bonæ educationis utilitas.

Parentes, ſi filios veſtros bene inſtitueritis, filii veſtri ſuos bene inſtituent, ac hi rurſus ſuos, ac ita fiet nexus, & quædam veluti pietatis, ac virtutis catena, quæ cum a vobis originem ſumpſerit, ad poſteros veſtros longe traducetur, eximiique fructus ex hac prima ſanctæ educationis radice procedunt. Vobis Dei lex eſt meditanda, dirigendaque, ac in ſuccum ſanguinemque, ut ita dicam, vertenda, ut poſtquam in lac fuerit converſa, amantiſſime nutricis exemplo, monitis, præceptiſque veſtris in filiorum corda paulatim valeatis immittere. Si patres, matreſque ita filios ſuos enutrirent, leges eſſent inutiles; neque inter eos viderentur judicia, pœnæ, ſupplicia; lex enim, uti Sanctus Paulus ait, non eſt irrogata pro juſtis. *Idem*.

Non eſt operoſum adoleſcentiam ad virtutem informare.

Neque dixeris, adoleſcentiam coerceri non poſſe; ſi enim Sanctus Paulus imperat, ut ipſæ etiam mulieres hoc onus ſuſcipiant, indicio eſt, hoc utique fieri poſſe, alioquin minime præciperetur. Omne autem malum ex noſtra proficiſcitur ignavia, ac negligentia, & quod a teneris non incipimus filios ad pietatem informare. In id operam, induſtriamque omnem tranſmittimus, ut artibus, profaniſque ſcientiis imbuantur; illis ampliſſima in foro, Aula, & exercitu munera comparamus, opes congerimus, ut inter cæteros niteant; at ne minimum quidem laboramus, ut Cœleſtis Regis gratiam illis mereamur, eiſque gradum aliquem in cœleſti aula obtineamus. *Idem*.

De amore prælationis, quo parentes filios aliquos aliis anteferunt.

Par ſit amor veſter, o genitores, erga filios veſtros. Cæce nimis primogenitum diligitis, cumque locupletare nimia ſolicitudine feſtinatis; natu minorem dure nimis contemnitis, ejuſque fortunam negligitis. Numquid hic expoliandus eſt, ut illum ditiorem efficiatis? Numquid natu minor ad Eccleſiaſticum ſtatum amplectendum cogendus eſt, cui par non eſt, ut natu major ſit opulentior; Numquid puella hæc durius excipienda, ut in religionem aliquam confugere teneatur ad quam minime vocata eſt, & hæreditatis ſuæ partem illis relinquat, quos majori dilectione proſequimini? O patres injuſti! O matres barbaræ! ſcitiſne, quod facitis, Sanctus Ambroſius interrogat? diſcordiæ malleolos in familiam veſtram injicitis; ibi inimicitiarum, ſimultatumque relinquitis ſemina: *Jungat liberos æqualis gratia, quos jungit æqualis natura*. Omnes ſunt filii veſtri; omnes ex vobis geniti ſunt; ne ſtatuatis inter illos adeo crudele diſcrimen; e contra facite, ut qui eamdem æque naturam patiuntur, æque etiam eoſdem favores partiantur. *Joly, Propoſitione pro vigeſima poſt Pentecoſten Dominica*.

Ejuſdem argumenti.

Non loquar de execranda conſuetudine minores natu fortunæ primogeniti conſecrandi: ad hunc effectum filias omnino abhorrentes inter clauſtra cogen-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.